DECISIONES
REGNI NEAPOLITANI.

Auctore

D. FRANCISCO VIVIO
I. C. AQVILANO,

ET REGIO AVDITORE SACRAE AVDIENTIAE
PROVINCIAE TERRAE BARI.

In quibus diuerſi caſus tam Ciuiles, quàm Criminales diſcuſſi, atque deciſi, tum in Sacra Regia Audientia Terræ Bari, tum in illa Capitinatæ Apuliæ, & Comitatus Moliſij, continentur.

CVM SVMMARIIS, ET DVPLICI INDICE:

Altero quidem Argumentorum; altero verò Rerum notabilium.

CVM PRIVILEGIO.

Venetijs, Ex Officina Damiani Zenarij MDCII.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISS. D. PETRO DEZAE, S. R. E. Presb. Cardinali,

FRANCISCVS VIVIVS S. P. D.

CVm viginti quidem annos Communium Opinionum Syluam, non ſine & animi, & corporis labore perluſtraſſem; & quoad eius fieri potuit, vberes fructus, & feraces plantas inde ſelegiſſem, experiri volui, an idem mihi in Pratis Deciſionum vſu venire valuiſſet, (Ampliſſime Præſul) ſcilicet, vt ſi quid hominum generi illinc commodi comparaſſem, aliquot eosque amœnos flores, ad communem omnium vtilitatem decerpere contigiſſet.. Quare, vt inquit Poetarum Dux, Egreſſus ſyluis, vicina coegi, Vt quamuis auido parerent arua colono. Exiui igitur in Deciſionum Prata, & quinque annos hos, qualeſcunque pro viribus flores legi, qui mihi ex amęnioribus Legum, & totius iuris herbulis, & cauſis occurſis pullulare, & exoriri videbantur; & vtriuſque iuris ſtudioſi, tanquam apes mel dulce, & de-

DECISIONES REGNI NEAPOLITANI.

Auctore

D. FRANCISCO VIVIO I. C. AQVILIANO,

ET REGIO AVDITORE SACRAE AVDIENTIAE PROVINCIAE TERRAE BARI.

Liber Primus.

ARGVMENTVM.

Quando equus locatus mortuus eſt in itinere, vtrum conductor teneatur ad ſolutionem equi mortui. Et quis teneatur probare culpã, locator, an conductor.

SVMMARIVM.

1 *Expertorum iudicio ſtatur de morte equi, vel de morbo, præſtante cauſam mortis.*

2 *Teſtes examinati parte non citata de morte, furto, naufragio, & ſimilib. coram iudice loci, vbi talis caſus acciderit, probant coram iudice domicilij.*

3 *Conductor equi non tenetur de morte illius in itinere, quæ ſine eius culpa euenit.*

4 *Remiſſio mercedis fieri debet conductori pro rata temporis, quo equo conducto vti non potuit, immo penſio ſoluta tunc eſt repetenda.*

5 *Caſus mortis animalis ſine culpa accidens, a nullo præſtatur, cum caſus ipſe fortuitus non pertineat ad conductorem.*

6 *Caſus fortuitus nullum hominis conſilium præuidere poteſt.*

7 *Caſus contingens culpa conductoris pertinet ad conductorem.*

8 *Conductor equi ſi percutiat illum calcaribus, vel flagello, & ob hoc moriatur, periculum tunc non ſpectat ad eum, ſed ad dominum locatorem, ſecus verò ſi percuteret lapide, ligno, vel fuſte.*

9 *Equo conducto ſi conductor imponat valiſiam grauem, dum conductus ſit ad onus hominis ferendum, periculum ſpectat ad conductorem.*

10 *Locator an teneatur probare culpam, an conductor diligentiam.*

11 *Culpa facit quem teneri de caſu, vbicunque culpa eſt ordinata ad caſum.*

12 *Impenſa modica, ſicut cibaria equi commodati, non repetitur.*

13 *Alimenta cui debentur, ſunt etiam præſtanda medicina.*

DECISIO PRIMA.

DISCVTIENDVM neceſſario venit hodie, ex quo pro parte Martini Zuccardi conductoris equi prætenditur equũ ipſum conductum in itinere, ex morbo ſuperueniẽti mortuũ fore, & ideo non teneri ob hoc ad illius emendam. Et verſa vice pro parte actoris, ac domini eiuſdemmet equi, cum prætendatur conductoris culpa in male gubernando, & denegando alimenta, atque alia faciendo mortem